



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ærumnæ D. N. Jesu Christi

Thomé <de Jesus>

Monachii, 1676

Ærumna XLIX. Sitis Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45834)

ctissima, quidquid mihi porrexerit. Humilia me tunc, & conforta me: solare me, ut pati possim, & perseverem in patiando usque ad mortem. Et quoniam hoc totum est opus tuæ derelictionis ac manûs omnipotentis, fac in me, quidquid potest misericordia tua: vides enim sine gratia tua nihil omnino me posse. Glorificeris, amor triumphans, in infirmitate mea; quia in parvis & abjectis ostendis majorem potentiam ac bonitatem. Exaudi me misericorditer, bone Jesu, sincere amice, & unicum refugium hujus animæ!

O Mater sanctissima, & Virgo perpetua! quæ vidisti, ac sensisti extremam afflictionem Unigeniti tui, tanquam fidelissima ancilla & socia laborum ejus, sis advocata mea in die desolationis; sustenta meam fidem, & fave debilitati meæ. O Curia cælestis! qui transivisti per hæc omnia victores ac triumphantes, compatimini nobis, qui adhuc sumus in conflictu, & impetrate mihi gratiam perseverandi usque ad mortem.

Æ R V M N A XLIX.

Sitis Christi.

I.



Olent ægroti præparatis syrupis, medicinâ, & sanguinis educatione curari: sique nimis teneri sint & lactentes, nutricibus dantur syrupi & medicinæ, ut lacte puriore abundant. Infirmata natura humana originali peccato, medicinæ ferendæ non erat. Dominus igitur se fecit ejus nutritium: *Et ego inquit per Prophetam, quasi nutritius Ephraim, Osè. c. xx. portabam eos in brachiis meis; & nesciverunt, quod curarem eos. v. 3.*

Quia pro suo erga peccatores amore, admovit eos pectori suo, & uberibus bonitatis ac misericordiæ suæ nutrit, susceptâ in se curâ, mittendo sanguinem, & sectionem sui corporis admittendo, ut virtute sui purissimi sanguinis, pro nobis effusi, sugentes ejus gratiam, dulcedine beneficiorum suorum educemur. ipso interim syrupis ex aceto & felle potato, quod nobis fuerat ebibendum pro medicina corrupti gustûs nostri, quo cælum perdidimus. Reservavit sibi hoc

A a a 3

Dominus

Inobedi-
tia causæ
perditionis
nostræ.

Dominus ad finem vitæ, ut moreretur cum recenti sapore medici-
næ, nostrâ causâ susceptæ. Adam per inobedientiam factus est au-
ctor peccati & perditionis nostræ, gustando prohibitum fructum.
De Christo prædictum erat, gustaturum acetum & fel. Huic præ-
dictioni obtemperans, ut nos perfectè sanaret, Patri usque ad mor-
tem obediit. Fructus, unde fluxit perditionis nostræ initium, fuit
arboris sapientiæ & obedientiæ, quam violando Adamus incidit in
sapientiam carnis & mundi: at sapientia divina, fructus crucis fu-
tura, unde vitam recipiant animæ, priusquam in illam ascenderet,
fel, priusquam exspiraret, acetum gustavit; ut nossemus veram ani-
mæ salutem ac vitam, nec in principio suo, nec in fine habere quid-
quam de sapientia mundi, quæ occidit; quia mundus initio dulcia
porrigit, quoad interimat; sed crux incipit ab amaris, donec det
sanitatem perfectam & vitam æternam.

II. Non bibit Christus acetum felle mixtum, sed utrumque
seorsim, fel antequam crucifigeretur, in vino myrrhino, quod ei
miscuerunt per ludibrium crudeles carnifices, loco refocillatio-
nis ante supplicia dari consuetæ. Dominus autem non bibit, sed
gustavit solum, quantum sciebat satis esse ad cruciandum stoma-
chum, idque cum solito silentio, sine signis horroris & nausæ. Cœ-
pit ergo tunc implere primam partem Prophetiæ: *Dederunt in*

Psal. 68. 22. escam meam fel: posteriorem autem, cum sitiret in cruce, ultimâ
horâ vitæ suæ, quando post tantam profusionem sanguinis, & cru-
ciatus tam diros ac diuturnos, absque omni refectione, siti maxi-
ma laboravit ante ultimum agonem. Sciebat bene, neminem fore,
qui vel haustum aquæ porrigat, sed præbituros acetum; tamen,
ut ad unguem obediret Patri æterno, professus est sitim suam le-
thalem, ac dixit: *Sitio.* Adstabant Mater & amici, quibus maximo

Ioan. 8. 19.
v. 28.

Sitienti Do-
mino ace-
tum offer-
tur,

dolori fuit, non posse vel re tantilla juvare: Matri præcipuè, quæ
nôrat è Scriptura, quid essent ei daturi pro aqua, nec poterat hoc
impedire. Carnifices itaque feris immaniores, cum jam alia re
ipsum non possent affligere, spongiam aceto plenam hyssopo cir-
cumponentes in arundine, obtulerunt ori ejus. Neque ipse recu-
savit, licet novisset, quantum is potus sibi creaturus esset tormen-
tū, constringendo penitus debilissimum pectus.

III. Cum

III. Cùm accepisset Jesus acetum, & nihil esset in Prophetis de ipso, quod ante mortem restaret implendum, ostendit, omni desiderio suo satisfactum jam esse, & omnia peracta, quæ præceperat Pater, ac siti salutis nostræ, quâ per omnem vitam suam ustus erat, dixit: *Consummatum est.* Considero Christum, ut hominem, qui peracto gravi labore, vel itinere magno defessus, ardet anhelando præ siti, cùm avidè hauserit amphoram aquæ, totus refrigeratus magno cum suspirio significat, quàm sibi sit bene post illum laborem, quo totus exaruerat siti. Sic Dominus, velut oblitus ærumnarum exhaustarum, & lætus, eas perductas ad finem optatum, suspirio gustus pleno dixit: *Consummatum est.* Si quis interrogasset, quidnam sit illud, quod tantopere gaudeat consummatum, aut quid ex eo lucri fecerit: nam si plus non fuisset, quàm in siti potatum esse aceto, erat ea causa non lætitiæ sed majoris doloris; si verò de passione ad finem perducta, adhuc mors restabat cum supremo agone: quid igitur consummatum est, quo lætatur? illud opinor, quòd, cùm suam humanitatem Dominus tradidisset potestati sui amoris, & hic ab ea nihil ampliùs posset exigere, sed abundè sibi satis in ea fecisset, contentus bonis, quæ cælo & generi humano præstita erant; ipsa quoque humanitas divini amoris erga se fidelitate, & quòd se pro instrumento reparandæ naturæ perditæ uri dignatus fuerit, imminente jam colligendi fructus laborum suorum tempore gaudens dixerit: *Consummatum esse*, quidquid ad hoc necessarium erat. Ideo videtur S. Joannes, emisso ultimo verbo Christi in cruce, historiam ejus Passionis, & vitæ voluisse concludere; ut ostenderet, quàm suavis Domino mors fuerit, cùm siti salutis nostræ satisfactum fuisset, ipsum quoque acetum dulce putanti.

Joan. c. 19.
30.

A cuius
Humanitate
amori plenè
satisfactum

IV. Hoc dicto, *Consummatum est*, Christus aliam sitim nobis indicat: nimirum ut, cùm jam consummatum sit nostræ salutis remedium, utamur illo. Nam quisque sui laboris fructum desiderat; quantò magis Christus tanti, tamque forti & lubenti animo exantlati? quem utique salus nostra in suis cruciatibus plus recrearet, quàm haustus aquæ, quo potiri non potuit. Ac licet naturalem sitim restinguere non potuerit, nisi potu acerbo; tamen hic ipse illi servit pro complemento remedii nostri. Sed ut sitis nostræ

G. S. V. 2.

stræ salutis alia re sedari non potuit, nisi libera nostra applicatione remedii ab ipso parati; ita totus ardens hac siti est mortuus, ut passione sua ad nostram salutem utamur. Quod qui non faciunt, sed peccatis suis cogunt eum ad ferendam in ipsos sententiam damnationis, potum illi præbent omni aceto & felle acerbiorē amariorēque. De quo per Isaiam queritur, quod à vinea, quam plantaverit electam, & custodia cultūque ornatam, cum exspectaret dulces uvas, non acceperit, nisi labruscas. Unde meritò credimus, majus ei tormentum attulisse desiderium salutis eorum, quos perituros videbat, quàm sitim naturalem, in qua etiam aqua frigida ipsi negata est. Quod si naturali & Christiana compassione moti optaremus ei fuisse præsentēs, ut inter hos cruciatus laboranti saltem haustu frigidæ possemus succurrere, ne bibere cogeretur acetum; cogitemus nos Judæis longè esse immaniores, si morienti cum tanta siti nostræ salutis, in vicem tantorum beneficiorum ei negemus id solatii, ut recedentes à peccatis, quæ ipsi mortis causa fuerunt, sequamur vestigia sanctissimæ ejus vitæ, ac debito illum amore prosequamur.

Diversimodè procedunt natura. & gratia in adversis.

V. Considerando tempus & occasionem, quâ Dominus manifestavit suam sitim, inveniemus clarum speculum, in quo patebit, quàm verè & puro corde quis serviat Deo. Etenim cum esset in summa afflictione ac desolatione, in qua meritò videbatur aliquid solatii & refocillationis exspectare à Patre, non modò nihil tale expetivit, sed insuper occasionem dedit novo tormento. Ex quo discimus differentiam naturæ & gratiæ inter adversa. Natura tanquam infirma se contrahit, dolet ac lamentatur; sed voluntas adjuncta per gratiam Dei ad plura, si Deo placuerit, patiēda se dilatat & extendit; & licet offerantur nobis res, quæ infirmitati naturali videntur impossibiles, eas tamen oportet aggredi magno animo: quia plerumque impossibilitates istæ sunt potius formidines ortæ à debilitate naturæ, quàm veritas: durisque susceptis cum fiducia in Deum, experimur nostram infirmitatem auxilio Dei, per tolerantiam eorum corroborari. Sic duæ illæ vaccæ in libro 1. Regum 6. abstractæ à suis vitulis plaustrum cum Arca Dei traxere. Nam etsi respicerent, ac mugitu naturalem sensum ac dolo-

dolorem de illorum derelictione manifestarent; nihilominus progrediebantur cum Arca, Deo illas agente usque ad locum, in quo immolatae fuerunt. Ita nihil de sanctitate vel merito per repugnantem sensum naturae decedit. Magnum desiderium Deo placendi ostendit, qui cum sentiat gravitatem laboris, nihilominus pergit, neque recusat fieri viva, & utique suavissima Deo victima. Qui verò in ærumnis timet ac retrocedit, clarè monstrat, quàm parùm sit adeptus virtutis. Deus per Moysen quadraginta annis in deserto exploravit virtutem Gentis illius, quam præ omnibus aliis foverat, & maximis beneficiis ornaverat & cumulaverat; eam tamen durissimam semper & contumacissimam expertus est, quæ quolibet incommodo permota recessit ab eo. Habere in desolatione sitim patiendi, & in afflictione quærere fel & acetum, probatio est verè amantis, & veri imitatoris Domini nostri.

*Signum
veri amantis,
& imitatoris:
IESU.*

VI. Non prætereundum est hîc, quomodo Christus à mundo recedat: & quomodo sibi mutuò solvant. Christus, dum vixit, mundo semper contrarius fuit, & voluptatibus ejus, reprobando omnem superfluitatem ejus, & commendando, quid esset opus ad cælum obtinendum, adeò, ut etiam pro haustu aquæ frigidae illud promitteret. De mundo verò adeò nihil quidquam retinuit sibi, ut etiam vestes, quibus tegetetur, infra crucem reliquerit: cumque ultimâ horâ saltem poculo aquæ uti vellet, mundus illi acetum porrigeret, eas illi inimicitias exhibens in morte, quas ab eo fuerat expertus in vita. Dominus autem tanto cum gustu illud accepit, quanto voluptates & recreationes mundi contempserat: ut contestatae implacabiles, & semper manifesta inimicitia inter suos & mundum extarent: ut adeò, qui pacem vult inire cum mundo, nesciam, quomodo posset esse à partibus Christi.

VII. Reliquit etiam nobis exemplum Dominus, ut quemadmodum totâ vitâ suâ habuit sitim nostræ salutis, & cum ea est mortuus, ita qui salvari desiderant, omnia sua desiderio illo metiantur & ordinent. Naturale est, ut finis, quo unaquæque res fit, moveat ac dirigat totam. Sic aliter laboratur lignum, quod destinatur in statuam, quàm quod in scamnum: & majore cura fit, è quo certius lucrum speratur. Quod si fit in omnibus aliis rebus:

B b b b

& ne-

& negotiis, quomodo illi, qui desiderant salvari, omnes curas, labores, & cogitationes dirigunt ad suum interitum? Causa hujus est, quia salutem suam tam frigidè desiderant, ut non habeant eam pro cynosura vitæ & actionum suarum. Non ergo cogitare poterunt hi, qui cupiunt salvari, se voti sui compotes fore, si desiderium eorum tale non sit, ut omnia dirigantur ab eo; cum videant, Christum totam vitam suam direxisse ad salutem nostram, cujus siti ardebat.

E X E R C I T I U M

Circa sitim nostræ salutis.

I.

*Etiannum
Redemptor
in Cælo sicut
salutem
nostram.*

Aliam sitim habes, Domine Redemptor & Salvator meus! quæ nondum sedata est. Cum ea natus, vixisti, mortuus, resuscitatus, in cælum assumptus es, & eandem adhuc retines, ac retinebis usque ad mundi finem; sitim salutis animarum, quæ non cessabit, donec omnia bona tua illis largitus gloriosè regnes in eis. O amor divine, quàm cupis communicare te ipsum! Et o Bonitas divina, tuâ quid refert, sive salver ego, sive condemner? aut quid ego tibi dare possum, quod non habeas, ut deliciæ tuæ sint esse cum filiis hominum, possidere illorum animas, dare illis aquam vivam, ac transformare totas in te? Conquereris, si te non amem, ac semper sitis hanc animam pauperem, & ejus amore delectaris. Propter animas te ipsum totum effundis, ac videris oblitus tuæ Majestatis. Ex una parte vis æstimari ut infinitus ac divinus; ex altera sic abriperis amore animarum, ac si esses ipsis æqualis, & familiarissimus: deponis apud eas, quæ te amant, tuas querelas, & vicissim querelas earum accipis: amplecteris illas & æstimas, si te humaniter excipiant. Aperis eis tua secreta, & accipis secreta earum: si te fugiunt, eas insequeris; illuminas eas, si te non agnoscant; exhilaras mœstas; consolaris, cum te recipiunt; gaudes ab eis possideri; te das eis in manus, & largiris, quidquid habes. O Divine amor, nihil petis à tuis, nisi amorem: qui te non amat, is te non intelligit: sed qui te amat, non est, quod ex te quærat; amor ipse intelligit causas horum affectuum.

Ignis

Ignis consumens es, Deus meus, & semper vis habere, quod arripas: & cum non possis facere, ut simus dii per substantiam, vis ut tales simus per beneficia tua, opes caelestes, ac beatitudinem. Denique nec lingua exprimere, nec auris audire, nec humana ratio potest assequi: solus amor potest experiri, quæ parasti purè diligentibus te. Sitis hujus amoris amore sedatur, ac donec omnes *Sitim ejus* habeas tecum, non cessabit; quia nihil est, quod possit ei fatis-*amor sedat.* facere, nisi id ipsum, quo beatus es.

II. O quoties, Amor divine, tibi fel & acetum præbui, pro amore, quem debebam! Et quare te non amo? quare, bone Jesu, non amo te toto corde? quid extra te invenio, quod comparem tecum, ut illud amem, non te, qui tantopere hoc desideras? fecisti hanc animam tui capacem, & ego alia quæro extra te! Sed cum indideris ei famem ac sitim tui divini Boni, quando illam fero in alia, non sedatur, sed crescit fames ac sitis; quia nulla res potest ei satisfacere, nisi tu: & hoc ego non intelligo. Ergo, Domine, tu semper sitis meam salutem, & recusas fel & acetum; ego verò meam sitim non relinquo, quia non possum, nisi te solo. Obliviscere, Deus meus, obliviscere malorum, quæ hactenus feci: nunc revertor ad te, desidero te, cupio te, vita animæ meæ. Consigno tibi illam, quam sic diligis: ne fastidias ejus miserabilem statum, in quo reperis eam. Renuntio post hac omni alteri amori: fac tu, Domine, ut nauseem alia omnia, præter te; quia nunc te solum desiderat anima mea, ac desiderat te magis magisque amare.

III. Quemadmodum cervus fatigatus ac sitibundus desiderat fontes aquarum, ita anima, mundum secuta, & se ipsam fastidians, desiderat te, Deus. Siti deficiens anhelat ad te, qui es fons aquæ vivæ: quando veniam & apparebo ante te, Deus meus, ut videam felicitatem, gratiam, & pulchritudinem vultus tui? Interea dum te quæro nec invenio, sustento me lacri-*lacrima* mis meis; illæ sunt mihi pro cibo die ac nocte, dum interiora mea *cibus peccati* inquirunt te, Deus salutis meæ, thesaurus ac beatitudo mea! In hac terra deserta, in via, & arida sine aqua, quærit te anima mea *sentis anima* cum desiderio videndi gloriam tuam. Non me suspendas diu-*ma.*

tius, amor divine! noli vindicare præteritam ingratitude: noli me pro felle & aceto, quod tibi porrexi, punire abscondendo faciem tuam, quæ sola satiare me potest. Quod si ego non mereor, tu satia te ipsum inflammando me, ac transformando totum in te.

*DEVM
amans ce-
tera omnia
nauseat.*

IV. O vita, & segura spes animæ meæ! noli tardare. Quando te potiar, ac tu purificaveris hunc spiritum, tunc ero totus tuus, ac tu meus; tunc quidquid tu non eris, nauseabo: tunc sine jactura dimittam omnia, quia me habebis pro tuo: tunc dilatabitur anima mea; tunc habebis, & poterò omnia, & omnia me ducent ad te, tibi que conjungent. Tu scis, quòd non possim tibi dare totum amorem meum, nec sedare sitim, quam habes, nisi tu mihi des aquam vivam. Hanc, Domine, promisisti his, qui cum desiderio & fide petunt à te. Fidem ac desiderium tu debes mihi dare, ut omnia tibi debeam. Desidero te, Deus meus, & credo, quòd omnia mihi dare possis: cor meum tibi supplicat, & invocat te, ô Fons aquæ vivæ! Fac in corde meo flumen aquæ vivæ salientis in te, ô Vita æterna! Currat meum desiderium semper ad te, amor meus semper te quærat. O vera vita! quando vivam solùm per te? O Spes superna! quando perveniam, ut videam te? O Thesauri divitiarum infinitarum! quando contemniam omnia terrena!

O Mater Dei purissima, Advocata precum nostrarum, & Mediatrix votorum! per illam afflictionem, quam habuisti, cum videres dilecto Filio tuo præberi acetum pro aqua, rogo te juva me, ut ab illo obtineam ejus amorem, sine quo ipsi placere non possum, nec liberari à malis meis. Ideo te habemus pro Domina & Refugio peccatorum, ut intercessione tua consequamur, quod non meremur. Quod à te peto, justum est: remove tu, quidquid impedit ô clemens, ô pia, ô dulcissima Virgo & Mater sanctissima! O Curia cælestis quæ natus in aqua viva, totaque ardes amore vivo, in quo flagrat sitis animarum exultantium, juva hanc, quæ ad consortium tuum aspirat: ama pro me hunc Dominum, lauda illum & largire mihi vel pauxillum de igne, quo ardes, ut inflammer & ego.

EXER-

E X E R C I T I U M
De Siti CHRISTI, deque felle & aceto.

I.

Quidnam est hoc, Salvator mi, & unice Curator infirmitatum mearum, ut nihil supersit, quod non patiaris pro me? Define monstrare hanc extremam inopiam. Itane refocillatio, quam quæris, est, implere quod de te prædictum est, fore, ut in siti tua te potent aceto! Amor tuus, ô bone JESU! hoc tibi revocat in memoriam: ille creat hanc sitim, ille provocat ad manifestandam eandem, ut occasionem det crudelibus illis te vexandi hoc potu inhumano. Ardet semper in te, ô DEUS amoris, hic ignis, & ne sit otiosus, materiam quærit, ut accendatur, & faciat opera sua consueta. O Jesu, bonum & gloria animæ meæ! bene sciebas, cur id faceres, & quàm ego malè tibi soluturus essem, dum vivo tam negligens amoris & servitii tui, tam incurius beneplaciti tui in omnibus rebus, tam procul à tua voluntate, tam pertæsus eorum, quæ me docuisti, ut ea non agam, nisi invitus & coactus! neque tot monitionibus & stimulis evigilem, neque omni amore, quem exhibes mihi, cum fervore illa aggrediar, eademque levi de causa omittam: interim tam sedulus ad mea commoda, & meos appetitus, ut nunquam obliviscar eorum, quæ cupiunt Caro & Mundus. Ego totus in perdendo me ipso, tu totus in me salvando, totus in meo servitio; & ego malo pessum ire, quàm duci tuo amore. O miseriam detestabilem! O dura vincula hujus hominis terreni! quando, mi Domine & Salvator animæ meæ, disrumpes hos funes amoris propii, ac tui amore captum me trahes ad te? veniat, veniat, ô mi dulcissime Jesu! veniat hæc hora beata!

II. O Satietas omnium esurientium! ô perfecta satisfactio omnium desideriorum animæ meæ! non erat ibi aliud, quo restingueres tuam sitim, quàm acetum, quo lacerentur viscera tui corporis adeò debilitati hac ultima hora? Videntur Angeli, qui in deserto esurienti ministraverunt, te non amplius nôsse, quòd te hac ultima hora sinant in maxima siti aceto potari. Adeòne pauper esse voluisti, ut etiam scypho aquæ careres Domi-

mus omnium rerum? Sicine Mundus te tractat, Agnelle mitissime, ut neget tibi rem tantillam, quæ nec brutis negatur, cum à te, quidquid habet boni, acceperit? Benedicant & glorificent te omnes creaturæ tuæ, & omnia opera amoris tui. Jam, Domine mi, se mundus ulciscitur, cujus res modicè gustabas, cujus delicias horrebas velut amaras; spernebas, quæ ipse maximi facit; condemnabas, quæ probat; laudabas, quæ damnat; neque voluisti ullam tuis pacem esse cum illo. Jam cum indiges eo, ipse te tractat simili modo: priusquam te cruci affigant, pro confortatione porrigit tibi myrrham cum felle; jam jam expiraturo, præbet acetum, ut, quem odisti in vita, acerbum experiaris in morte. Tam infensum & crudelem tibi se exhibet, ô superna Dulcedo!

*Christo
cum mundo
nihil com-
mune.*

III. O Divina & æterna Sapientia! nec in nativitate, nec in vita, nec in morte voluisti cum mundo habere pacem, aut quidquam commercii, neque ille tecum, qui te morientem & sibi valedicentem sic tractat. Maledicta igitur cæcitas mea! éstne possibile, ut servierim illi, & ei desideria ac tempus vitæ meæ impenderim? Propter ipsum perdidisti verum gustum rerum, propter ipsum internæ dulcedines tuæ mihi videbantur fel & acetum, propter ipsum dimisi conversationem tuam, & vanitatem gustando, tuas judicavi amaras. O infinita Misericordia! quàm multa sunt, quæ mihi condones? Sis benedictus, quòd detineas terram, ne mihi dehiscat! diabolos, ne me abripiant ab oculis tuis! quia tam impudenter commutavi dulce amaro, vitam morte, veritatem mendaciis, te salutem animæ meæ Mundo pleno miseriis, & inimico tuo, qui tam indignè te tractat.

IV. Bene intelligo, Divine Magister, quòd ea damnes, quæ hactenus amavi extra te: & ostendis mihi tuo tanto impendio, res mundi fel & acetum esse his, qui noverunt tuam dulcedinem. Si tu, mi Jesu, es tota bonitas, tota misericordia, tota dulcedo, quid aliud sapit, ubi tu non es? Parce, Jesu, compa-
tere debili & corrupto meo stomacho: sana meam animam, ut mundus posthac sit mihi, qualis tibi semper fuit. Per hanc lethalem sitim, per hoc fel & myrrham, per acetum, quod bibisti, rogo te, Deus & Salus meæ, ut eximas ex hoc miserabili corde
amo-

amorem & gustum mundi, & omnium rerum ejus: sit ille mihi crucifixus, & ego illi. Non sit pax inter nos duos: agnoscam illum esse verum venenum animæ meæ, & ille me tradet ut hostem. Et quia tu, Domine, voluisti sumere hunc haustum, ut amorosa viscera tua, ad quæ non penetrârunt flagella & clavi, cruciarentur illo, ne quidquam esset, quod non affligatur pro me; fac in me hanc mutationem, ut in te solo inveniam gustum, amem te solum, & quidquid tu non es, mihi videatur amarum: quia tu es superna dulcedo, perfecta suavitas, & purus amor hujus animæ.

V. Et quid magnum est, ô bone Jesu! si non habeam gustum, nisi in amore ac servitio tuo, cum tu inter summos dolores non recusaveris bibere potum tam acerbum, & quasi recenti aqua sitim extinxisses, & abluisses omnem dolorem, & respirâsses, gratulabundus dixisti: *Consummatum est*: jam possum liberè redire ad Patrem, siti patiendi expleta. Quare ô Deus meus! non habeo hunc gustum in te, ac rebus tuis? quare non gratus est mihi tempus vitæ, quo patiar aliquid pro te, & in obsequio tuo? Totus in omnibus es amorosus: ubique ostendis verè paterna viscera, studiosa meæ salutis. Adoro te, Domine: laudo hunc amorem & curam, infinitas gratias ago pro gustu, quem habes in benefaciendo mihi. Sit hic gustus tibi pro medio, ut ab isto corde tollas omne frigus, & omnem tepiditatem in tuo servitio, faciâsque me perfectum imitatore tuum, & ut sim servus perpetuus tuæ voluntatis & amoris.

Æ R V M N A L.

Christi Agon & Mors.

L.



Ixit Christus Dominus noster in hac peregrinatione, triginta tres annos, ac tres menses, à nativitate usque ad mortem: sed à conceptione & incarnatione triginta quatuor annos: quos omnes à primo instanti traduxit in continuis & magnis ærumnis. Etenim annos infantie propter Herodis persecutionem transegit in Ægypto extra patriam;

Tota vita Christi plena fuit ærumnis.